

FURCULÆ CAUDINÆ:

Carmen Latinum

IN THEATRO SHELDONIANO RECITATUM

DIE JUNII VIII. M DCCC LXIV.

AUCTORE GULIELMO MOORE,

COLL. NOV. SCHOL.

OXONII:

T. ET G. SHRIMPTON.

M DCCC LXIV.

Oxonii: Excudebat H. Alden.

Furculæ Caudinæ.

Quale sub Austrini vexatum flamine venti
Altiùs illisos fluctus, et spumea circum
Æquora proturbat saxum, necdum improbus imber
Necdum undæ, quæ mille mari volvuntur ab alto,
Turritum mersere caput;—te fabula talem
Prisca refert, tantæ gens o! non digna ruinæ,
Samnitum gens dia virûm! quam Roma duello
Æmula frangebat lento, quam pila tot annos
Ferrea circumdans omni de valle premebat.

Nempe ubi Romuleis ingloria cesserat armis
Si qua prius Latias inter caput extulit urbes;
Cum jam parebant, molli quæ Liris aquarum
Agmine, quæ violens longe rigat Aufidus arva,
Una diu,—medios inter, quos stravit inertes
Victoris tanti latè pavor,—una tyranni

Detrectans juga, per cladem, per damna viriles
Servabas animos, libertatemque paternam.

Fortunata situ tellus! si littoris ora
Cæruleis prætenta fretis, et splendida luxu
Oppida non aderant, at puris halitus auris,
At dulci aërios rorans aspergine montes
Imber, at umbrosæ valles tibi: talia fervens
Empta sibi totis Campania messibus optet.
Tum terræ altrici, nulli mutabilis ævo,
Monticolam conjunxit amor, vetuitque vagari
Longiùs;—et quidam patriâ sublimis in arce
Respicit, æstivas pater Apenninus in auras
Ut niveus consurgat; at infrà murmur aquarum
Exoritur, lenique coruscant flamine silvæ:—
Ilicet egregiæ species telluris amores
Spectanti incendit solitos; volat ultor in hostem
Vividus, ut nido pennis Jovis ales ab alto
Lapsus iit, fissisve ruunt de montibus amnes.

Quocircà populos non sic impune per illos
Roma dabat stragem, nec sic sine vindice fato

Cesserunt junctæ pro libertate cohortes.
Vos adeo, heröum cineres, quos Pontius olim,
Pontius antiquæ non ultima gloria gentis,
Haud dubiam in mortem duxit, quando invida vatum
Pagina vos siluit, nec habent facta optima Musam,
Fas mihi tot post sæcla loqui; fas carmine tandem
Illustrem memorare diem, quo alterna laborem
Vestrum etiam, vestras partes, Fortuna revisit:
Plura nefas: hos saltem urnis hos spargere vestris
Restat adhuc seros, mea tenuia munera, flores.

Aspice! quæ nigras inter flectentia valles
Romulidum vexilla micant! queis fertur in armis
Spurius, obsessæ rumore incensus amaro
Luceriæ, non ille æquor tutasque viarum
Jam patiens servare moras! per claustra jugorum
Invia, per raucos avulsis montibus amnes,
Scilicet, et populi medium penetrale ferocis,
Huc molem bellantum, huc longum proripit agmen.
Et jam Campanas segetes, notamque reliquit
Planitiem: nec quidquam atri nisi ramea saltûs
Tecta videt; seu forte jugis revoluta Taburni
Nubila inaccessas nudârint vertice cautes,

Altiùs, et pronis torrens effulserit undis.
Demens! non tectas fraudes ea mira canebat
Monte quies, ea cassa sono divortia silvæ?
Mox idem, nec longa mora est, studia ista viamque
Oderis inconsultam, et non fausto alite cursus:
Dum pro plausu hilari, pro longæ carmine pompæ,
Turbam inter remeas dux illaudatus inermem.

Est locus Italiæ prope Caudî mœnia: vallem
Perpetui cingunt montes; cui pinus utrinque
Triste virens, et nigrâ abies inamabilis umbrâ,
Faucibus incumbit biviis: rivusque per imam
Flectitur, et celeres pleno dat flumine tortus.
Apta dolo Martis sedes: ibi saltibus altis,
Quot vada *Vulturni numero, quot ab ilice quassâ
Consternunt Silam, Boreali turbine, frondes,
Apenninicolæ ferrum lethale recludunt.

Jamque ibat Romana cohors, secura futuri:
Illa per infestas, fatalia limina, fauces
Intrepidos celerare gradus, ultroque patenti
Credere se campo: primus per gramina ductor

* Cf. Æn. vii. 728.

Urget equos, pratoque volans decurrit aperto.
Ah! quantis stupet ille oculis, qui vertere pallor
Ora viri! cum claustra tuens rarescere vallis
Ultima, congestas, immania fragmina, rupes
Dejectasque in calle trabes agnovit, et arma,
Arma in transverso dirùm radiantia muro!
Quid faciat? totam rursus transmittere vallem
Cogitur, et fauces iterum tentare relictas,
Si qua fugæ, si detur ibi, si forte potestas.
Nequidquam: huic aditu custos suus: hìc quoque Samnis
Irruerat, strictoque viam mucrone tenebat.

Tum quoque quot summos obsidunt millia saltus
Apparent detecta: altis apparet in umbris
Armorum nitor, et clypei, sublustriaque æra,
Et tuba de patriis ciet agmina dira latebris.
Agnoscunt vocem horrendam, et lethalia signa
Romulidum turbatæ acies. Quam nunc sibi valles
Ignotas, quam tesqua velint non tacta duello!
Quos hosti manet extremas ibi pendere pœnas,
Et sine congressu, sine vulnere, linquere vitam.
Non tamen exercent, sero jam vespere, nulla

Munia castrorum captos: stat inutilis agger,
Stat valli labor; et diro considitur agro.

Nox erat: hesternique silent oblita triumphi
Samnitum castra alta: horas custodia tantùm
Cantando fallit, sparsosque movetur ad ignes.
Latiùs argenteum perfundens Luna nitorem
Tranquillos retegit saltus, compostaque ventis
Rura vagis: hìc stellantes stant clara sub auras
Saxa, giganteæ turres; hìc mollia valles
Vellera, densatæque tenent a montibus umbræ;
Undique suda quies, et plurima noctis imago.
At non qua riguam tendebat clausus ad undam
Venturæ lucis fingens dira omina miles:
Nunc vasto suspectu arces, et scrupea montis
Mœnia collustrat, sopitum sævus in hostem:
Nunc ad ductoris prætoria mæsta recursans
Auxilium implorat vanum: sedet ille coacto
Concilio procerum, et turbæ fera crimina pallet.

Jamque per Eoas, Phœbi prænuntia, pinus
Obscurum tenuis sulcabat purpura cœlum.
Continuo sua castra,—vocat labor ultimus omnes,—

Romula deseruit legio: pars agmine anhelo
Dumosum scandit montem, Martemque fatigat
Cautibus aëriis hærens; pars saxea denso
Claustra globo, vanisque aditus assultibus urget:
Non vî, non armis usus: vetat ardua saltûs
Majestas, totâque repugnans hostis ab arce.

Ergo ubi dejectos cuneos, crebramque suorum
Dux stragem aspexit, revolutaque corpora leto,
Tum demum revocatâ acie, fessusque residens
Orabat pacem, et palmas tendebat inermes.
Jamque e concilio Pontî responsa retrorsum
Legati deferre: viros non ille cruentum
Poscere supplicium sævus;—sua sub juga missis
Dat fœdus pacemque; unam hanc ex hoste requirit
Mercedem, hoc unum vitâ pro sospite munus.

Audiit, et legem, quâ mors non dirior ipsa,
Palluit auditam miles: subiere regressus
Imbelles, socias subiit via fœda per urbes,
Et, longè graviora, suæ ludibria Romæ.
Jam dubium pariter vulgus, pariterque tribuni
Stant mæstos defixi oculos: jam lumine signat
Quisque ducem: tamen ille silet, tectusque recusat

Aut fando sancire graves, aut spernere, pœnas.
Unus erat, qui tandem auctor firmare sodales
Ausus, et ancipites animo depellere curas,
Lentulus, hanc diro rumpebat tempore vocem;
"Egregias vero laudes hâc morte meremur
De patriâ, o socii, vacuas ubi milite turres
Roma videns Samnitum atros considet in ignes!
Dî genti meliora piæ! Sin quicquid in Urbe est,
Hic video, legionum, hic spes floremque Quiritum,
Credite, servati patriam servamus, amici,
Extinctis cadit illa. Nihil feret ista pudoris
Deditio, nîl pœna jugi, modo nostra relictis
Corpora reddantur muris: hæc fana Deorum
Hæc vidui pretio repetunt quocunque Penates!"
Dixerat; ac veluti, medio cum turbine cessat
Tempestas rupitque atros Sol aureus imbres,
It campo volitans lumen, radioque fugaci
Tranat agros, tranat sata læta, lacusque coruscos;—
Sic vulgi, suadente viro, corda intima verus
Tangit amor patriæ; stat pœnæ extrema pudendæ,
Stat quamvis ignominiam durare ferendo.
Nec mora: progressus Consul deponere pacis
T[illegible] entos equites, et jungere fœdus.

Hora adeo fatalis adest: stetit æquore aperto
Triste jugum, turmasque minans expectat inermes.
Quis majestatem lapsam, quis carmine pœnæ
Illius æquaret luctus? En Consul! honesto
Læna jacet detracta humero; nec lictor eunti
Summovet hostilem turbam: per utrinque minaces
Ille acies, aliena trucis per murmura linguæ,
Ingreditur tacitè, et diro se subjicit arcu.
Tum mæstus legionum ordo: dant singula cuncti
Colla jugo, seriesque virûm procedit inermis:
Quos circum densati hostes, et probra superbæ
Illudunt gentis; promptusque in vulnera mucro
Exsiluit, modò torvo animus contemptor in ore
Fulserit, et turpem corda indignantia pœnam.

Jamque jugo summissi omnes, saltuque relicto
Ultima curvatæ condebant agmina valles.
Ecce autem! digressum inter conversa supremum,
Quas fauces adiere, atrâque voragine silvas
Stant retro speculata: oculos sed miscuit imber
Effrænis lacrymarum, et salso rore fefellit.
Cladem illi nunc omnem animis, omnemque repulsam
Concipiunt: odere auras, odere receptæ

Splendorem nimium lucis: jamque ægra retrorsum
Cum gemitu dant terga, et regna invisa relinquunt.

Qui vero tum, Roma, tibi, qui corde furores
Surgere, ut excidium genti meditata rebelli
Obsessos audis cives, pacemque coactam;
Qui gemitus, ut fœdum agmen sine laude, sine armis,
Traxere in muros latebrosaque compita victi!
"Siccine tot nostrûm exuviis impune, tot armis
Jactet se fallax Samnis, *Corvique triumphos
Insidiis confisæ artes, cita deleat hora?
Non ita; quin potiùs reduces abolemus iniquam
Pacem acie, tantumque nefas: tum sentiat hostis
Corda sibi violata, implacatosque Quirites!"
Talia volvebat furiis, et fœdera pacta,
Fœdera solenni dextrâ sancita suorum,
Rejicit impatiens: nec enim de morte remissa
Millia, nec fidei læsæ jam flectit imago:
Arma Patres scelerata, calens fremit arma juventus.

At piget ambages belli, piget impia fraudis
Ausa sequi. Sua victorem, sua plurima tradit

* The conqueror in the first Samnite war.

Exitio pietas, ex quo ferrum acre recondens
Imposuit leges, et non placitura Quiriti
Fœdera, nec pactam speravit fallere dextram.
Gens antiqua ruit, longos quæ sceptra per annos
Vindicat Hesperiæ, Romamque retorquet avaram:
Nunc silet exilio tellus, celeberrima quondam
Arva vacant, mutique tubæ sine murmure colles.

Quanquam o! si veteres Furcas, desertaque montis
Ostia,—signat enim tot jam post sæcula *nomen,—
Advena deveniet, si nunc ubi proluit imber
Frondea silvarum tecta, atque avulsa ruinam
Saxa gravem traxere, tamen sibi claustra refinget
Qualia erant, cum circum altam resonantia vallem
Samnitum capti pallerent arma Quirites,
Tum sciet, a quantâ victor nece miserit hostes,
Omnia tum Romæ tangent perjuria mentem.
"Hinc, credo," justâ clamabit fervidus irâ,
"Fors captos sola eripuit, speciosaque paci
Nomina pollutæ nectet mentita vetustas!—
Non ita fraus ingens Romæ, nec præmia vitæ

* Forche d'Arpaia.

Fœda datæ periere: gemat sua fata vicissim
Ipsa licet, lapsisque sibi Capitolia templis,
At pacis Caudinæ, odio bene vindicis ævi,
Dum rigat hos amnis saltus, hæc dum juga cingunt,
Viva manent monumenta: manet plorare ruinam
Insontis terræ, et sævos odisse Quirites."

List of Latin Prize Poems,

ONE SHILLING EACH,

PUBLISHED BY T. AND G. SHRIMPTON,

23 *and* 24 *BROAD STREET, OXFORD.*

1841. Viæ per Angliam ferro stratæ, by F. Fanshawe, Scholar of Balliol (Fellow of Exeter).

1843. Venetiæ, by Edward Walford, Scholar of Balliol.

1844. Triumphi Pompa apud Romanos, by Edwin Palmer, Scholar (Fellow) of Balliol.

1846. Phœnices, Nechonis tempore, Africæ oram circumnavigantes, by Thomas Collett Sandars, Scholar of Balliol (Fellow of Oriel).

1847. Turris Londinensis, by John Conington, Scholar (Fellow) of University, Professor of Latin Literature.

1850. Herodotus apud Olympiam Musas suas recitans, by John Hoskyns Abrahall, Commoner of Balliol (Fellow of Lincoln).

1854. Suis et ipsa Roma viribus ruit, by Alfred Blomfield, Scholar of Balliol (Fellow of All Souls').

1855. Israelitæ Palestinam Occupantes, by Robinson Ellis, Scholar of Balliol (Fellow of Trinity).

1856. Mors Socratis, by E. C. Wickham, Fellow of New College.

1857. Sebastopol, by Charles Synge Christopher Bowen, Fellow of Balliol.

1858. Lacus Asphaltites, by J. H. Warner, Balliol.

1859. India Orientalis, by R. S. Wright, Scholar of Balliol.

1861. Trinacria, by W. L. Stonhouse, Brasenose.

1862. Cæsar in Senatu Interfectus, by Robert W. Raper, Scholar of Trinity.

1863. Spelunca Duplex in Agro Ephronis, by Thomas Leslie Papillon, Scholar of Balliol College.